

CEPHALORRHYNCHUS AUCHERI Boiss.

C. radice subrotunda inferne fibras edente, caule elato angulato tenero inferne glabrescenti superne ramoso corymboso-paniculato paniculâ piloso-glandulosâ polycephalâ, foliis glabris, inferioribus petiolatis *runcinato-pinnatipartitis* praeter infimas ad petioli basin aurito-amplexicaulibus lobis ovatis dentatis, summis amplexicaulibus ovatis dentatis, pedunculis parce squamulosis, capitulis angustis cylindricis, involucri glabri squamis lanceolatis acutis biseriatis infimis brevissimis intimis acuminatis, floribus, acheniis pallidis teretibus tenuiter cylindricis quinque-sulcatis *laevibus* apice attenuatis rostro caduco eis triplo breviori terminatis, pappi setis caducissimis disco minimo ad rostra apicem sito insertis.

Lactuca microcephala DC.! prod.

Hab. in *Persia* Aucher No. 3517.

Caulis sesquipedalis, capitula 4-5 lineas longa, affinis habitu, foliis et characteribus *Cephalorrhyncho glanduloso*, qui differt foliis inferioribus indivisis, capitulis paulo minoribus et acheniis atris nec pallidis, absque rostro, 2 nec 4 lineas longis, rugulosis nec laevibus, rostro eis duplo nec triplo breviori terminatis.

Characterem disci fimbriati, qui rostrum terminat et pappi caducissimi quem ut generis *Cephalorrhynchi* characteristicum habueram in pluribus speciebus *Lactucæ* et *Phaenopi* nuper reperi sed semper ab utroque *Cephalorrhynchus* acheniis teretibus nec compressis distinctus remanet.

CHONDRILLA PUSILLA Boiss. loc. cit. Febr. 1845.

Ch. glabra annua, radice exili, foliis minimis glaucescentibus rosulatis obovato-oblongis obtusis, in petiolum brevissimum attenuatis denticulatis dentibus spinulosis albidis, *scapo humili monocephalo* praeter 1-2 foliola lanceolata-lineararia nuda, capitulo cylindrico, calyculi squamis ovatis acutis glaucis, involucri phyllis adpressis lanceolatis quadruplo longioribus dorso parce setosis caeterum glabris, acheniis compressis striatulis superne valde muricato-squamellosis rostro gracillimo eis duplo longiori terminatis, pappi setis niveis rostro brevioribus.

Hab. in *Persia australi* Kotschy No. 856.

Scapus sesquipollicaris, folia 4-5 lineas longa, 2-3 lineas lata capitulum tres lineas longum lineam diametro latum. Species radice an-

nuâ et habitu primâ facie in genere anomala et quam pro *Microrrhyncho* aut *Sonchi* specie pusillâ habueram, sed ob achenii structuram absque dubio *Chondrillae* adnumeranda.

ZOLLIKOFERIA MUCRONATA Boiss. loc. cit. Febr. 1845.

Z. glabra, perennis, caulibus elatis superne ramoso-paniculatis, foliis elongatis pinnatipartitis, rhachi laciniisque linearibus sinuato-denticulatis, his patentibus retrorsisive longitudine valde variantibus inter se remotis denticulatis albo-mucronulatis, radicalibus in petiolum attenuatis, caulinis et rameis sessilibus *auriculatis auriculis acutis multifidis*, supremis squamiformibus, capitulis terminalibus, involucri glabri nigricantis *foliolis inferioribus ovatis acuminatis* intimis longioribus acutiusculis apice membranaceo-fimbriatulis, floribus flavis involucrum superantibus, acheniis tenuiter cylindricis laevibus quadrisulcatis basi concaviusculis, pappo albo achenio paulo longiori.

Hab. in *Persia australi* Kotschy No. 27, Aegypto (Forskal, De-lille). *Leontodon mucronatum* Forskal — *Zollikoferia chondrilloides* DC. Prodr.? quoad patriam Aegyptum.

Sub nomine *Z. chondrilloides* plantas diversissimas cl. Candolleus confudit. *Z. chondrilloides* vera, *Sonchus chondrilloides* Desf. cujus plantam non vidi, sed cujus descriptio plantae hispanicae, quam in Castellâ legi, optime respondet, a nostrâ, quae habitu similis est, egregie differt foliis caulinis non ut in eâ auriculis magnis multifidis basi auctis, sed sessilibus exauriculatis aut vix et brevissime decurrentibus, involucri squamis exterioribus brevibus obtusiusculis, nec acuminatis, interioribus obtusissimis extremitate albo-membranaceis. Planta Persica et Aegyptiaca igitur ad *Z. mucronatam*, hispanica et probabiliter Atlantica ad *Z. chondrilloidem* pertinent, planta sicula cujus tantum specimen imperfectum vidi, est forsan species propria tandem Arabica Schimper exs. No. 827 et 208 est nova species ulterius descripta.

ZOLLIKOFERIA ARABICA Boiss.

Z. glabra annua, foliis glabrescentibus sub lente bullato-tuberculatis profunde pectinato-pinnatifidis, laciniis linearibus sursum directis parce denticulatis apice albo-callosis infimis in petiolum attenuatis caulinis sessilibus amplexicaulibus, caule humili simplici vel parce ramoso, capitulis terminalibus magnis subnutantibus pedunculo squamoso suffultis,